

[1231 (?)] März 17.

[44]

# Bœiband 2

## H.I S. 26

Der Kardinallegat Otto s. Nicolai stellt dem Kloster Helmarshausen einen Ablaßbrief aus.

Ootto miseracione divina sancti Nicolai in carcere Tullianensi diaconus cardinalis, apostolice sedis legatus universis Christi fidelibus presentis literas inspecturis salutem in Domino. Quoniam ut ait apostolus omnes stabimus ante tribunal Christi recepturi prout in corpore gessimus, sive bonum fuerit, sive malum, oportet nos diem misionis extreme misericordie operibus prevenire et eternorum intuiti seminare in terris, que reddente Domino cum multiplicato fructu recolligere debeamus in celis, firmam spem fiduciamque tenentes, quoniam qui parce seminat parce et metet, et qui seminat in benedictionibus de benedictionibus et metet vitam eternam.<sup>1)</sup> Cum igitur ecclesia beatorum apostolorum Petri et Pauli Helmwardecensis propter maliciam vicinorum per incendia et rapinas gravibus dampnis adeo dicatur oppressa, quod nisi subsidio fidelium adiuvetur vix adiciet, ut resurgat, universitatem vestram rogamus, monemus et hortamur in Domino ac remissionem vobis iniungimus peccatorum, quatinus de bonis vobis a Deo collatis ad relevationem ipsius ecclesie pias elemosinas et grata caritatis subsidia erogetis, ut per subventionem vestram eiusdem ecclesie inopie consulatur et vos per hec et alia bona, que feceritis, Domino inspirante ad eterna possitis gaudia pervenire. Nos enim de omnipotenti Dei misericordia et beatorum apostolorum Petri et Pauli meritis et intercessione confisi omnibus, qui in festivitate beatorum apostolorum Petri et Pauli ad ecclesiam ipsam personaliter accesserint et manum porrexerint caritatis, triginta dies de iniuncta sibi penitentia auctoritate legationis, qua fungimur, misericorditer relaxamus, presentibus vero legationis nostre tempore duraturis.

Datum Mabam. XVI Kal. Aprilis.

Orig. Siegel ab.

Bergl. Pfaff, S. 59, W. II-B. IV, 117, Ann. zu Nr. 17 b. — Rückschrift von einer Hand 17. Jahrh. Helmarshausen 1231.

<sup>1)</sup> 2 Cor. 9, 6.